

Quodsi tempora nostra, turpi vitiorum et Crypto-Naturalissimi labe, vbiq̄ue locorum fere foedata consideramus, si perpendimus, quot laquei probis ponantur, quot pericula eos circumstant, quam facilis sit e regno virtutis in seruitutem peccatorum, culpam aeternamque mortem commententium, transitus: nescio an inuidendum sit praestantissimo iuueni Viro, quod in certissimum miseriarum suarum portum ledem tutissimam quietis peruenerit, et morte mille occasionibus futuram felicitatem suam peccando minuendi praeuenerit. Sexcenta alia mortis genera impendent ei, qui vnicum etiam, quod aquae afferre possunt, effugisset. Nonne infidum mare tota vita est, SENECA teste? Monstris non caret, nec scopuli defunt. Graues tempestates multae in propinquo, facillime fracta nauicula.

*Omnia sunt hominum tenui pendentia filo*

*Et subito casu, quae valere, ruunt.*

Pensitari meretur, gentiles mortem in beneficiis numerare, quamuis haec iis sederit opinio:

ἀθάνατος θάνατός ἐστιν ἀπαξ ἀντις ἀποθάνῃ

*Immortalis mors est, vbi quis semel mortuus sit, nec melior vita post haec saecula speranda est. ATHEN lib. 8.*

Quam miris elogiis tum philosophi veteres, tum plerique alii mortem vltimam lineam rerum condecorarunt! Et vero, quod mireris, vel templum posuerunt MORTI ETHNICI.

Liceat mihi, vt et monumenti aliquid dignissimo ROCKENFUSSIO meo erigam, et TVVM VIR SVMME REVE

VE